



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118340

§. 91. Joannes Episcopus Varadinensis injuste de hæresi accusatus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

militiam indixit; dedit præterea negotium Apostolico Hungariæ Internuncio, ut Bohemos, Hungaros, Polonos, & Germanos ad sacram expeditionem concitaret. Verum tam fervidæ Pontificis hortationes omni caruere effectu, nec ulatenus Principum animos affecerunt; cum illi aliunde bellis impliciti essent, quæ privatis eorum commodis magis consona fore credebant.

secul. XV.
A.C. 1488.

§. XCI.

Joannes Episcopus Varadinensis injuste de hæresi accusatus.

Cum in Hungaria Joannes Episcopus *Bonfin. dec. 4*
Varadinensis, quod Huffitis in Bohe- *c. 10.*
mia plurimum faveret, apud Pontificem in crimen hæresis vocatus esset, ideo Innocentius Legato suo datis literis præcepit, ut de scelere huic Præsuli imposito inquireret. Pontificis epistola data est Romæ die vigesima sexta Augusti. Legatus demandata sibi provincia functus, sedula inquisitione facta comperit, non nisi meras calumnias in Joannem ab invidis temere sparsas fuisse; unde de Præsulis innocentia Pontificem certiore reddidit, ac illius probitatem, & merita plurimum commendavit. Joannes, quamvis Matthiæ Regi apprime carus, ejusque beneficentia plurimum auctus,
ac

Sæcul. XV. ac præcipuis Regni dignitatibus decoratus esset, nihilominus nuncium rebus mortalibus mittere, ac solitariam vitam agere decrevit, quocirca a Romano Pontifice facultatem petiit, ut se Episcopatu abdicare posset; Assensit Episcopi votis Innocentius, concessitque, ut cuidam religiosæ familiæ sese addicere valeret. Obstitit tamen Matthias Rex, cum tanti Viri opera carere nollet: unde Episcopus a pio consilio retardatus, non nisi post Matthiæ obitum, & Uladislauum Hungarica corona redimitum sua desideria ad exitum deducere potuit, demumque Olomutii S. Francisci institutum amplexus est.

§. XCII.

Hieronymus Riarius a conjuratis trucidatus.

Sabell. Enn. Interea Hieronymus Riarius Forolivi, ac Fori Corneli Comes, cujus sub Pontificatu Sixti IV. frequens mentio occurrebat, vitiis ac crudelitatibus suis sese omnibus exosum reddere pergebat; quapropter ejus subditi illius Tyrannidem pertæsi seditione conflata in ejusdem perniciem tam implacabili odio conjurabant, ut die septima Mensis Aprilis trucidatus irati populi, cujus furorem sibimetipsi accersiverat, victima caderet. Equidem

10. lib. 8.